Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36450
Copyright: Melk, Benediktinerstift

tes presentia: futura meliora acquirimus.
Vos tempus sequentes imperatorum vestrorum ipsos
adoratis sed demones: nos vero Christum
regem perpetuum adoramus. pro cuius no-
mine vos exultantes: nos sanguinem
nostrum fundere parati sumus. Vos rapi-
nas exercetis et miseros exspoliatis.
nos vero propter Christum nostra vendentes pa-
uperibus erogamus. Unde ergo intelligere
debes in omnibus meliores et felicio-
res nos esse christianos. Prefectus di-
xit ad eum. Multa te loquentem propter
astantem populum et verba ante te pati-
enter audivi: nunc vero dico tibi. quia
oportet adimpleri quod iusserint impera-
tores. Quam autem iustum est. ut tu homo
indignus contrarius sis regibus: et melio-
rem te ostentas? Romanus respondit.
Multo melior sum. et quamvis sim in-
genuus natus. Nam apud deum tam
servus quam liber unum sunt. ibi enim personam
nullius sed opera requirunt. Unde ergo intel-
lige quod servi eius sine fuerint consolati erunt
in regno. reges vero et iudices demo-
niorum quales vos estis: erunt in pena perpe-
tua. Prefectus dixit. Intellige pl-
ane patientiam meam quantum te supporto
dummodo revertaris ab insania tua quam
dixeris et sacrificaveris diis. Roma-
nus respondit. Dii qui sunt manu facti pe-
reant. et ipsi qui adorant eos. Tunc prefec-
tus iussit eum de eculeo plumbatis tundi.
dixitque ad eum. Per deos immortales
sacrifica. et qualem volueris dignita-
tem in te confero. Romanus dixit. Per
dominum Christum verum immortalem. quia nec sacri-
fico: nec meliorem potes mihi dare dig-
nitatem. quam dedit dominus Ihesus Christus ut in regibus
seculi resistentes: etiam seculi glorie particeps
efficiar. Prefectus autem iussit eum
tundi fortiter. et fustibus cedi. Ro-
manus respondit. Per filium dei fatigas te.
ego enim nichil sentio tormentorum:
sed ultimam dares sententiam. Tunc pre-
fectus iratus. iussit de novacula
acuta radi eius maxillas: dixitque
ad ministros suos. Radite maxil-
las eius. ut vel sic taceat stultus iste.
Romanus dixit. Pro nomine Christi
rase mee maxille amplius ad lo-
quendum apte sunt. quia non mendacii
sed veritatis preco sum. Videns autem pre-
fectus quod eum superare non posset. dixit
ad eum. Ergo stulti sunt imperatores.
qui deos adorant? Romanus respondit.
Et super stulti sunt. Ut his autem cognos-
cere veritatem. peto te per salutem
imperatorum tuorum: ut iubeas infan-
tem quemlibet de scolis adduci. et eum
interrogare: quid melius est deos adorare
quam dominum. et quod dixerit hoc sequere. Pre-
fectus dixit. Quia me adiurasti per
salutem imperatorum. rapiatur infans de
scolis: et per eorum salutem quia non effugi-
es manus meas. Et cum introductus
fuisset infans dixit prefectus. Ecce
infans romane. Romanus respondit.
Permitte mihi ut eum interrogem. Pre-
fectus dixit. Interroga. Sicque roma-
nus aspiciens in celum dixit. Domine Ihesu
Christe ostende virtutem tuam. ut magni-
ficetur nomen quod est benedictum in secu-
la. Et convertens se ad infantem dixit.
Quis diceris? Infans respondit. Barulas.
Romanus dixit ad eum. Dic mihi infans.
quid melius est adorare: deum an deos? Ba-
rulas respondit. Pudor iste sit semper. et
omnibus qui diligunt adventum eius. Tunc
prefectus iussit eum cum infante reclu-
di in carcerem. et precepit foris in cu-